



8
NO EN PAMAU

Mal p-guied

G-E

t. 1375332

c. 72053827

SINGULARIS
HEBRAICÆ LINGUÆ
EXERCITATIO
IN ACADEMIA SALMANTIC.

PALAM SUSTINENDA PROPONITUR.

TOTIUS EXODI CONTEXTUM EX HEBRÆO
ad latinum sermonem litteraliter convertet, eorum quæ
vertentur distinctam, exactamque rationem reddet, varias
vorum notiones explanabit, vim sententiarum, & emphasin
evolvit, orationis ordinem, nexum, & figuras patefaciet,
ac demum omnes dubitationes subjectis thesibus
adversantes enodabit.

LIC. D. FRANCISCUS PORCHERIZOS INIGO,
*Hebræarum, & Græcarum litterarum studiosus, olim in Collegio
Purissimæ Conceptionis Placentinæ Urbis Alumnus, nunc pro
obtinendis Præbendis Lectoralibus, necnon in Salmantina Univer-
sitate Sacræ Theologiæ Cathedris strenuus Concertator,
& Provinciæ Beturiensis Consiliarius.*

OPITULANTE CL. IPSIUS MAGISTRO

LIC. D. ANTONIO MANGAS BERMEJO, PRESBYTERO,
Trilingui Collega, linguarum Hebraicæ, & Chaldaicæ Cathedræ Pro-
Moderatore, atque in eadem Univ. Sacræ Theologiæ, & Philosophiæ
Cathedrarum, Matritensis Hebraicæ, ut & S. Eccles. Præb.
egregio Antagoniste.

Pridie Idus Junii, an. Dñi. MDCCLXXIV. hora VIII. mane.

Pro Universitate, & Cathedra ex Supremi Castellæ Senatus præscripto.

MATRITI. Ex Typographia D. ANTONII DE SANCHA. Ann. 1774.

SINGULARIS
 HEBRAICA LINGUAE
 EXERCITATIO
 IN ACADEMIA SALMANTICA
 PALAM SUSTINENDA PROPOSITUR.

TOTIUS EXODI CONTEXTUM EX HEBRAEO
 ad latinum sermonem litteratim converteret, eorumque
 verborum distinctam, exactamque rationem redderet, variis
 verum notionis explicationibus, cum sententiarum, & emphasi
 evolvet, orationis ordinem, necnon & figurarum pariter
 ac denum omnium dubitationes subiectis thesibus
 adjuvantes enodabit.

ETIC. D. FRANCISCUS PORCHERUS PRIMO,
 HEBRAICAM, & GRÆCÆ linguarum peritissimus, olim in Collegio
 Parisiensi Compositæ Philosophiæ Libri præfatus, cum pro
 obsequiis Praeceptoris Litterarum, necnon in Salmantica
 hinc sacrae Theologiae Cathedrae hinc Compositæ
 & Praeceptoris Librorum Praefatus.

ORITULANTE ET PRIMO MAGISTRO
 ETIC. D. ANTONIO MANGAS BERMEO, PRESBYTERO,
 Theologiae Collegii, Linguarum Hebraicae, & Chaldaicae Cathedrae pro
 Professori, necnon in sacra Theologia, & Philosophia
 Compositæ, Librorum Praefatus, in & Salmanticae
 Regio Aragonicae.

Publice Idus Junii, an. Dni. MDCCXXIV. hora vna. mane.
 Praeceptoris, & Cathedrae Sacrae Theologiae Salmanticae.

ATLANTIAE Typographia D. Antonii de Sancha, Anno 1724.



2. 1724

EXC.^{MO} ATQUE ILL.^{MO} DOMINO
D. FRANCISCO ANTONIO
DE LORENZANA ET BUTRON,

TOLETANÆ ECCLESIAE HISPANIARUM
Primatis Archiepisc. vigilantissimo, Supremo
Castellæ Cancellario, in regali equestri Ordine
Hispano à Carolo III. D. Nostro nuper stabili-
tato præclaro Magnæ-Crucis gestamine Equiti
decorato, nemini in fovendis Musis compa-
rando, Uberrimoque omnium scien-
tiarum Fonti.

S. P. D.

FRANCISCUS PORCHERIZOS INIGO.

NIHIL, aut optatius, aut honorifi-
centius mihi evenire potuit,
(EXC.^{MB} ET ILL.^{MB} DOMINE) quam
ut primævam hanc hebraicæ linguæ
exercitationem in hac omnium florentis-

tissima Academia susceptam tuo quoque secundo auspicio in lucem emittere fas esset. Cupiebam jamdudum nancisci opportunitatem aliquam, in qua meum erga TE Optimum, & Beneficentissimum Dominum, cui secundum Deum quamplurima debere me, profiteor, gratum, memoremque animum testarer. Namque sub Augusta Protectione TUA educatus olim ipse, siquid in me litterarum, siquod est veritatis studium, desideriumque pietatis, totum id scilicet à TUIS profluxit fontibus, quos Pauperi juxta, ac Diviti, Ignoto æque, ac Nobili patère, Ego sum cum multis jucundissime expertus. Ergo liceat mihi, sicut olim Cæsarem Tullius, & eisdem TE compellare verbis. Nullius quidem tantum erit flumen ingenii, nullaque dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare EXCELLENTISSIMÆ DOMINE Magnalia TUA prodig-

dignitate possit. Tamen hoc adfirmo, idemque pace dicam TUA, in his omnibus laudem mehercule amplioem esse nullam egregio, quem ad promovendas cum divinas, tum humanas litteras, utrasque à TE diligenter enucleatas semper adhibuisti conatu. Quin vel ipsa eruditionis TUÆ clarissima monumenta prælo commissa veritatis ejusdem argumentum ineluctabile evincunt. Certe enim lucubrationes meas crassa licet Minerva elaboratas haud aliis Mæcenatis, quam TUUM oportebat expectere Præsidium. Has igitur Ipse, & pleno reverentiæ obsequio, & sincera grati animi significatione Præclaro Nomini tuo devovère operæpretium existimavi, quo TIBI condignas merear referre grates, si pro illa, qua inter egregias animi heroici virtutes excellis mirabili comitate, easdem benigna excipere fronte dignatus fueris. Adeoque non modo aliorum siquæ fuerint dis-

torta iudicia facilè contemnenda pu-
tabo, verum & iis omnibus gloriam
illam anteponam, quod CELSITUDINI TUÆ,
& meus qualiscumque labor, & sum-
mum de re litteraria bene merendi
studium haud displicuerit.

CAPUT PRIMUM.

*CELEBRE CANTICUM A MOSE,
& Israelitis post Erythraei maris transfretationem
concentum, quasi perfectæ Poeséos specimen proponitur,
& illius occasione qualis fuerit Hebræorum vetusta
Poesis discutitur, & inquiritur.*

PRIMA THESIS.

Naturalem Poesin totius humanæ mentis quasi divino quodam cæstro correptæ, & agitate eruptionem, & clamorem esse, Nemo, qui vel ipsius originem, aut primævam ejusdem adplicationem diligentius perspexerit, ire valebit inficias. Discutiantur ergo antiquiora Poeséos fragmenta in ejusdem rei comprobationem, præsertim vero egregium illud Carmen, de quo præsens instituitur sermo, ubi ex abundantia cordis Moses divinas eructans laudes, ferventiores animi impetus exérere, Dei Liberatoris magnificentiam extóllere, eidem publicas, easque solemnes exhibére gratias, quin vel eosdem populo Israelitico sensus inspiráre nititur, ut Siquis ejusdem magnitudinem, vim, & energiam, pariter cum gravi quadam simplicitate pro meritis explanáre vellet, haud aliter posset,

set, nisi vel ipso spiritu, quo illud editum fuit corripérétur. Merito quidem apud Omneis Eruditos, ceu exemplar elegantioris Poesis habetur, & æstimatur, nulli græcorum, aut latinorum poematum, ne ipsius quidem Homeri, aut Virgilio conferendum, sed eloquentiam omnem profanam longissimè superans, & transcendens. Ipsam adtestor interpretationem latinam, cujus mira venustas eandem veritatem penitus evincit.

PRIMA THESIS
S E C U N D A.

Verum tamen in adsignanda hujus antiquæ Poeseos ratione, cum Veteres, tum Recentiores AA. eandem pariter non tenent viam, sed pluribus obvoluta opinionibus, ferè nihil certi ad nostram permeavit ætatem. Inter eos, qui hoc argumentum elucidarunt omnium Antiquissimi, & Peritissimi nobis occurrunt Josephus, Origenes, Eusebius Cæsariensis, & S. Hieronymus, quorum auctoritas plerosque fere subsequentes in suam pertraxit sententiam. His ergo tam præclaris Ducibus, & Mosis cantica versu Heroico exarata, & totum Psalterium Jambicis, Alcaicis, Saphicis, & Lyricis carminibus, instar Pindaricorum, & Horatianorum concinnatum esse constat. Liber Salomonis, cantica Deuteronomii, & Isaia Hexametris,

tris, Pentametrisque versibus instructa sunt. Idem sentiendum de Libro Job, ubi post illa verba: *Pereat dies, in qua natus sum*, omnia Hexametris Dactylis, & Spondæis constantibus digeruntur, usque ad illa: *Idcirco ipse me reprehendo*. Quin etiam carmina Trimetra, & Tetrametra in lamentationibus Jeremiæ, in Pss. 110, 118, & alibi sæpe reperiuntur. Dubitari ergo non potest, nisi Doc-tissimorum Virorum testimonia eludere velimus, quin Vetus Hebræorum Poesis græcæ, & latinæ similis omnino fuerit.

TERTIA.

Eandem amplexi fuere sententiam quidam RR. inter quos Franciscus Gomarus, (quem nervosè impugnavit Ludovicus Capellus) carmina librorum sacròrum paribus adstringi legibus cum græcis, & latinis, & regulis à se præscriptis, & exemplis prolatis ostèdere conatur. Nec prætermittenda videtur quorundam opinio hebræa carmina rythmo tantum adligata fuisse, his potissimum argumentis evincentium. Ea namque est hebraicæ, quemadmodum Gallicæ linguæ indoles, ut eam verborum inversionem, quæ Græcis, ac Latinis gentilis, & propria est, aut numquam, aut rarò patiatur. Præterea nomina hebræa eandem in omni-

bus utriusque numeri casibus terminationem constanter tuentur, ex quo illud consequitur hebræum sermonem tam pronum ad rhythmica, quam ad metrica Græcorum, & Latinorum more, ineptum esse carmina. Quin & hebraicè scribentibus rythmi vel non dedita opera conquisiti, sive ex articulorum, & adfixorum copia, aut ex adfinium vocum affluentia vix evitari possent.

QUARTA.

Oppositam his omnibus opinionem induit Josephus Justus Scaliger: *Quod in Hebræo, Syriaco, Arabico idiomate (ut ipse ait) ulla metri species concipi possit, Nemo potest efficere, quia id natura sermonis non patitur, nullibique inveniatur carmen aliquod metricis legibus adstrictum, sed ut plurimum soluta oratio carâctere poetico animata.* Eamdem fuit persecuta viam RR. Criticorum eruditissima phalanx duo poeséon genera distinguendum, naturalem unam, artificialem vero aliam. Quarum illa subito, & tumultuario sermone intimos animi sensus ad vivum pathetica oratione depingit, hæc autem eosdem selectis, & exquisitis vocibus numero, & concinnæ modulationi adstrictis præter oculos exhibet. Et hanc posteriorem cum à majestate, tum à simplicitate librorum sacrorum procul distare

tare existimant DD. illi, apud quos omnis antiquæ Poeséos ratio in eo constituta videtur, si loquendi genere utantur vividiori, fervido, pathetico, audacioribus, & crebrò repetitis figuris ornato. Singulis enim gentibus, Nationibus, & Tribubus, ut passiones suæ, ita sua quoque Rhetorica, & naturalis Poesis. Numquam enim alacritatis, spei, admirationis, iræ, & doloris immanes adfectus nisi fervore, & energia quadam exprimuntur. Adeoque non inficiamur viguisse apud Hebræos naturalem Poesin, quasi præludium methodicæ illius Poeséos, quæ post multa sæcula à Rabinis industria, & arte elaborata, & absoluta est.

QUINTA.

TOtius cardo difficultatis eò devolvitur ut scrutemur, an obtinuerit inter Hebræos methodica, & artificialis Poesis? Res adeo implexa, & obscura, ut divinantes potius, quam explorati quidquam definientes de eadem dissérere videamur. Legitima hebraicæ linguæ pronunciatio, quemadmodum græcæ, latinæ, & aliarum, quæ jam obsolevêre, prorsus ignoratur. Eam vero penitus intercidissee multa abhinc sæcula, ex eo discimus, quod & LXX. Interpretes, & D. Hieronymus easdem omnino voces diversis, iisque oppositis conceptibus

expresserint. Et quidem juxta hodiernam lectionem Massorethicam neque rythmus perseverans, & continuatus, neque ulla pedum mensúra reperitur. Quisnam vero scit, an juxta veterem pronuntiandi rationem eadem, quæ nunc voces, & rythmo, & metro adcomodatae carnem constituebant elegantissimum? Qui explorare possumus, an habuerint peculiarem dialectum ad augmentum, detractionem, & transpositionem litterarum, quo singulis carminum generibus dictiones aptari possent? Quid? Nonnè citra ullam controversiam eisdem Musices peritissimos extitisse, atque in eo disciplinæ genere nulli Gentium palmam retulisse constat? Cumque apud Veteres Poesis à Musice non sejungeretur, Isque Musicus esset, qui & Poeta, hinc facilè paria de Musice, ac de Poesi statuamus oportet, quædamque nostro veluti Marte dicemus, ne animi pendere usque videamur.

S E X T A.

Sicut enim Musica apud Hebræos haud aliter quam religioni inserviebat, ita etiam Poesis præter propter rebus sacris, haud profanis erat usibus consecrata. Ut ignota fuit eisdem ea Musices harmonia, leposque, qualis in Musice nostræ ætatis emolliendis animis, quam moribus informandis

aptiori percipitur, ita pariter apud eosdem, quantum autumare licet, non obtinere Comœdiæ, non Tragœdiæ, non Satyræ, non Epigrammata, neque aliud ejus Poesis genus, quod Plato imitationis adpellat. Et ut Nemo dixerit eosdem Musices peritissimos non extitisse, quod citra ullam methodum, artem, aut disciplinam vix concipi potest, ita similiter ex elegantia verborum, & carminum artificio conjectari licebit Antiquos Hebræos aliquam struendorum carminum methodum habuisse simplicem licet, magisque ad naturam adcedentem. Haud enim bona illa vetustas nobis nec ingenii acumine, nec rerum inventionem cedebat, superabat vero nos studio, & erga rem poeticam, & musicam amore. Qualis tamen fuerit illa methodus ægrè determinare poterimus, quos nativa linguæ sanctæ pronuntiatio prorsus latet, nec incitiam nostram in causa erit, ut inficiemur, quin eadem, qualiscumque fuerit, verè extiterit. Leguntur in Scriptura Epicinia, Carmina, Invectivæ, gratiarum Actiones, Epithalamia, & Cantica mœroris, & gaudii. Quid? Nonne David lugubri carmine Sauli, & Jonathæ interitus deploravit? Nonne Jeremias cantico celebratissimis Regis Josiæ funus ingemuit? Quin adhuc funebre illud carmen, quo Prophetes Isaias, & Imperii Babylonici lapsum, & funestum illius Regis obitum pathetice depingit,

la-

latinè licèt traductum sapórem poeticum refert. *Quomodo cessavit Exactor quievit tributum ! Contrivit Dominus virgam Dominantium :: Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer ! &c.* Ubi latinæ Poescos quædam similitudo cernitur. Alia congereremus exempla, ni ultra præscriptos terminos divagaretur oratio. Siquis vero in re adeo implicata, tenebrisque involuta adcuratius aliquid, & exploratius nobis tradiderit, Doctrinam, Judiciumque nostrum eidem libenter submittemus, qui solius veritatis explorandæ amore ducti, provinciam hanc susceperimus.

CAPUT SECUNDUM.

QUARUMDAM VOCUM IN EXODO contentarum Etymologia inquiritur, & circa ejusdem libri versionem litteralem quædam adnotatione digna proponuntur.

PRIMA THESIS.

OMnia fere verba hebræa, & nomina, quæ in latina translatione posita sunt, nimia esse vetustate corrupta, Scriptorumque vitio depravata D. Hieronymus adserit. Hæc igitur ut emendentur hæbraicæ linguæ peritia absdubio necessaria

est.

est. Quæ enim ex alienis linguis veniunt, ab eorumdem Peritis mutuari debemus. Multa etiam Scripturæ Sanctæ mysteria eisdem nominum interpretationibus nobis aperiuntur. Sic enim hoc nomen יְהוֹשֻׁעַ Josue, aut Jesus præposita (†) facile deducitur à radice יָשַׁע in conjugatione Hiphil. Significat enim salvum facere, liberare, ut Jesus dicatur, idest Salvator, aut Liberator. Sic etiam à radice מָשַׁח unxit oritur מָשִׁיחַ Messias, idest unctus. Et à chaldaica voce מַרְא mará Domina, detracta per apocopem littera (א), & ex hebræa יָם iam mare hoc nomen מַרְיָם Mariam (ut à Veteribus legebatur) Maria facili negotio deduci potest, quasi dicatur Domina maris.

SECUNDA.

GRavior apud Interpretes est disceptatio circa Mosaici nominis etymon, ubi neglectis aliorum opinionibus Josephus hoc nomen ex Ægyptiis *mo* vel *moy* aquam, & *yse* servatum significantibus deducit, ut Moses dicatur, ab aqua servatus. Hæc igitur nominis ratio non satis explorata videtur; fatentur omnes *mo* vel *moy* apud Ægyptios aquam significare, sed à plerisque dubitatur an *yse* significet servatum. Verisimilius itaque videtur nobis eandem vocem à verbo hebræo מָשַׁח eduxit, extrahit

traxit derivare, ita ut Moses dicatur, quasi educ-
 tus, aut extractus. Est enim משה *Moseh* participium
 activum verbi præcedentis per figuram enallagen
 positum pro participio passivo מושי *massui*. Hæc
 igitur derivatio cum rei veritate consonat, nam
 Moses proprie loquendo non ex aquis, sed è fis-
 cella scirpea, quæ in ipsa fluminis ripa algosa,
 & caricibus plena reposita fuerat, extractus fuit à
 filia Pharaonis, ut ex utroque textu hebræo, &
 latino manifestum adparet.

TERTIA.

Circa nomen Dei tetragammaton יהוה cum
 illius derivatio, tum legitima ejusdem pronuncia-
 tio vestiganda nobis occurrit. Oleaster hoc nomen
 à verbo inusitato *houah* delere deducendum existi-
 mavit, quasi Deus per hoc nomen Judicis Ultoris
 adtributum portendere vellet. Quæ ratio haud
 efficax videtur, ut à communi deficiamus senten-
 tia hoc nomen à verbo hebræo היה fuit, extitit,
 originem ducere propugnante. Unde יהוה per lit-
 teras consonantis expositum perinde est, ac exis-
 tens, sive qui est. Eidem præponitur (י) nominum
 priorum ferè ab initio formativum. Ita sese
 adpellat Deus Ex. cap. 3. v. 14. ubi hebræa veri-
 tas habet : יהוה אשר איהוה *ieih ascher eieh*, ero qui
 ero :

ero : per enallagen , sum qui sum , à radice יהוה
 ejusdem omnino significationis cum יהוה. LXX. In-
 terpretes verterunt εγω ειμι δ ων , Ego sum existens,
 quas Deus per hoc nomen incommunicabile suam
 nobis φωτειν ostendere voluisset , quod sit actus pu-
 rissimus , absque ulla potentia concreione , proin-
 deque ipsum επιταξι in omni sua amplitudine : nihil
 enim magis universale , quam το ον concipitur. Pia-
 culum ergo Judæis erat , vel hoc nomen efferre.
 Tanta erat erga illud reverentia ! Temporis itaque
 decursu genuina ejusdem prolatio prorsus interiit.

Q U A R T A.

BArbaram , atque illegitimam esse vulgarem
 illam prononciationem *Iebouah* à nemine vel in
 hebræa lectione mediocriter exercitato controver-
 titur. In ea scilicet quædam voces aliter scribun-
 tur , aliter vero leguntur , quibus adnumerari de-
 bet hoc nomen יהוה , cui subjiciuntur puncta no-
 minis adpellativi יהוה אדבונאי *Adbonai* , Dominus , nimirum
 Scheua (:) , quod sub (S) dilatatur in Cateph pa-
 thach (:) , quia littera gutturis est , Hholem (:) ,
 & Qamets (τ) : unde hoc nomen haud per conso-
 nas , sed per vocaleis effertur יהוה אדבונאי *Adbonai* , Domi-
 nus , non *Iebouah*. Et hanc prononciationem anti-
 quissimam , eamque veram esse , ex eo colligitur ,
 quod

quod LXX. Interpretes, Aquila, Symmachus, & Theodotion vocem יהוה semper interpretantur κυριος, Dominum, qua voce latina utitur S. Hieronymus. Legebant enim יהוה *Adbonai*, Dominus, nam יהוה *Iehouah* non Dominum, sed Ens, aut Existentem significat. Adcedit Judæorum, cum Veterum, tum Recentiorum consensus; quin & ante Petrum Galatinum sæculi xvi. Scriptorem prolatio *Iehouah* non obtinuit, eamque hebraicæ Grammatices regulis adversari, multis argumentis evinceremus, nisi ad alia properaret oratio. Eruditi plures adfirmant antiquam hujus nominis prolationem fuisse *Iao*. Illud non est prætermittendum: ubi præcedit nomen יהוה aliud nomen divinum subponuntur puncta nominis אלהים *Elohim* Deus: itaque legendum in eo casu, non יהוה *Adbonai* Dominus, sed *Elohim* Deus, ne idem nomen bis consequenter proferatur.

Q U I N T A.

IN hebræo sermone multæ sunt dictiones magnam habentes emphasin, & innatam proprietatem, quam latinus exprimere non valet, nisi per ambages, & circuitus quosdam. Sic enim Ex. cap. 26. v. 1. ubi editio Vulgata habet, *variatus opere plumario*, Latinus Interpres non satis exprimit emphasin illius vocis כרובים *cheruim*, alibi significantis Angelos.

Dicitur enim opus *cheruim* juxta hebræam significationem textura variegata, atque eo lineamentorum ductu, aut opere anaglyptico, aut Phrygionis artificio elaborata, ut maximam differentium imaginum exhibeat diversitatem. Est enim apud Hebræos magna vocum polysemarum, & ambiguarum silva, quæ diversimode interpretatæ plures possunt excipere sensus catholicos. Sic in eod. Lib. cap. 18. v. 18. ubi translatio latina habet, *stulto labore consumeris*, ad litteram juxta varias significationes geminati verbi hebræi *נבל תיבול* *nabol thibol* potest legi: *cadendo cades*, idest, oneri succumbes: *marcescendo marcesces*, hoc est, tædio, ac molestia adficieris: & *deficiendo deficies*, consilium hoc vel invitus deseres. Interpres unam tantum vocabuli significationem reddere potuit: hinc oritur tanta interpretationum varietas, dum unusquisque quod sibi consequentius videtur hoc transfert.

S E X T A.

CUM alicujus vocis genuina significatio prorsus ignoretur, licebit nobis, vel eandem è re vicina, & aliàs nobis nota nominare, vel ad metaphoram confugere. Res, & Grammaticis, & Interpretibus universis concessa. Multas etiam in versione nostra offendemus lectiones non modo diversas, sed & quasi

quasi oppositas translationi Latinæ, quarum Nos
analysis tantum grammaticam adgredimur expli-
candam. Sic enim cap. 13. v. 18. juxta veritatem
hebræam legimus: quini, & quini ascenderunt;
cum editio Latina habeat: *Et armati ascenderunt.*
Cap. 15. v. 9. ubi dicitur: *Et interficiet eos manus
mea*, hebraicè legitur; & à possessione deturbabit,
vel pauperes efficiet eos manus mea. Et cap. 32.
v. 28. ubi dicitur: *cecideruntque in die illa quasi vi-
ginti tria millia hominum*: hebraicè legimus: sicut
tria millia virorum. Alia plura suppetunt exempla,
quæ brevitatis ergo omittimus. Cuinam ex his lec-
tionibus deferendum sit, Nostra definire non in-
terest, qui & scimus in rebus ad fidem, & mores
pertinentibus Veterem Vulgatam Latinam Editio-
nem omnibus aliis præferendam esse, nec Ii sumus,
qui aut curiosa, magis quam solida insectari, aut
veram hebraicæ linguæ utilitatem fallaci vanitate
permutare velimus.

A T X 2

FIGURA	NOMEN	POTESTAS.
א	Aleph.....	A
ב	Bet.....	B
ג	Ghimel.....	G
ד	Daleth.....	D
ה	He.....	H
ו	Vau.....	V
ז	Zain.....	Z
ח	Cheth.....	Hh
ט	Theth.....	Th
י	Iod.....	I
כ	Caph.....	K
ל	Lamed.....	L
מ	Mem.....	M
נ	Nun.....	N
ס	Samech.....	S
ע	Hhahin.....	Hhh
פ	Phe.....	Ph
צ	Tsade.....	Ts
ק	Coph.....	Q
ר	Resch.....	R
ש	Sin. Scin.....	S. Sc
ת	Tau.....	T

E



Nihilo secius est certum Acrosthichidem poëma esse in quo singulae cuiuscumque carminis literae nomen aliquod, vel sententiam exhibent, seu initiales, aut mediae, vel finales. Exempli causa, Acrosthichis haec sacrosanctum nomen IESUS offert apud P. de Colonia.

I lle sacrum cuius legis hoc in carmine nomen,
 V irginis castae sinu,
 S ervator mundi, nostrum productus in orbem,
 U t omnibus vitam daret,
 S e moriens totum indulsit mortalibus aegris.

Hinc eodem pariter artificio in sacris veteris testamenti hebraicis codicibus quaedam conspiciuntur opera, quorum singuli versus à singulis Hebraici Alphabeti literis suo ordine dispositis initium sumunt, quae et ideo Alphabetica appellari possunt; illa scilicet sunt Psalmi XXIV. XXXIII. XXXVI. CX. CXI. CXVIII. CXLIV. capitulum XXXI. Proverbiorum ab illis verbis *Mu-*



lierem fortem quis inveniet? et Hieremiae demum Lamentationes. In quibus super aeconomia, et Alphabeti distributione animadvertendum est: Psalmos XXIV. et XXXIII. ad viginti duos versiculos unumquemque porrectum, à totidem viginti duabus Alphabeti literis sibi initium sumere: ita ut primus versus ab א, secundus à ב, tertius à ג incipiat: Psalmum XXXVI. per alternos versiculos; ut primus ad א, tertius à ב, quintus à ג, septimus à ד &c. Psalmos CX et CXI. per undecim versiculos tantum, sed per hemistichia viginti duo, Alphabetum percurrere; ita ut in primo versu prima medietas ab א, secunda à ב &c. Psalmum vero CXVIII. per viginti duas octavas *ογδοάδας* versiculorum, totidem Alphabeti repeteret: eo ordine, ut primi octo versus ab א incipiant singuli: secundi octo à ב; tertii octo à ג &c. In Hieremiae demum Lamentationibus caput III. per triadas tria Alphabeti exhibere, et sexaginta sex versiculos; quorum tres primi ab א, tres secundi

à א &c. incipiunt. Sanctus Hieronimus in Epist. ad Paulam Urbicam de Interp. Alphab. Hebr. tres illos primos Psalmos ab Alphabetico artificio excludit : In Prologo tamen Galeato, non solum Psalmum XXXVI. inter opera Acrosthica recenset, sed et orationem Hieremiae. Personatus Hieronimus in Psalm. CX. hunc et proxime sequentem regulas huius artificii accurate observare scribit ; coeteros autem, qui tanquam Alphabetici habentur, magis legentium industria quam scriptoris studio eiusmodi arte fuisse distributos. Quid autem causae fuerit, ut eo artificio Acrosthichidis Alphabeticae ea ipsa opera fuerint exarata, non una est Doctorum sententia : alii enim ea carmina, quorum argumentum fuisset gravissimum, acrosthice consuevisse exarari, affirmant : alii ut discentium iuvaretur memoria ; alii artificium musicum latere : alii demum in usum puerorum, qui scribere discerent : illud mihi persuasum habeo, Alphabeti Hebraici literas constantem sedem, et inter se fixum ordinem, qui supra scriptus est, et quem hodie ser-

vant, iam tunc obtinuisse, nec vagis hinc
 illinc aberrasse sedibus: hodiernum ordinem
 constanter exhibent caput I. Hieremiae: Psal-
 mi CX. CXI. CXVIII. CXLIV. et Pro-
 verbiorum caput novissimum, nequidquam
 repugnantibus II. III. et IV. Lamentatio-
 num capitibus, in quibus litera **n** praefi-
 gitur literae **y** turbato quodammodo con-
 stanti alioquin ordine: (in quarum inver-
 sione minime dubitandum est, quin caba-
 listae montes certe aureos suspicentur, et
 occulta mysteria credulis obtrudant; sicut
 et alias in literis detortis, suspensis, clau-
 sis, et apertis, expiscantur) nam illud
 tribuendum existimaverim vel librariorum,
 et scribarum industriae opinantium maiorem
 sententiarum connexionem praeponendo **n**
 literae **y**, turbatis ordine et sacri scripto-
 ris orthographia: vel quod magis arridet,
 ipsorum incuriae et oscitantiae; ut vide-
 re licet in Psalmo XXIV., in quo versicu-
 li 2. 5. 18. et 22. turbatam habent seriem;
 sicut et in Psalmo XXXIII. deficit **y**; et
 duplicatur **n** in versibus 17. et 23.: ae

in Psalmo XXXVI. deest ♪ ; et in Psalmo CXLIV. desideratur ♪ , quibus tamen aetate septuaginta Interpretum non carebant; quod aliunde provenire non potuit , quam à temporum iniuria , et scribarum somnolentia. Hinc cum Graeco et Latino sermone Interpretes eodem artificio quo textus Hebraeus erat exaratus , literas acrosthice exprimere in suis versionibus haudquaquam possent , nomina literarum Hebraearum suo ordine praefigi voluerunt , imo et ipsas literas , à quibus carmina singula in textu originali inciperent ; atque ideo per sanctam Hebdomadem sacrae resonant aedēs Hebraici Alphabeti recitatione in Hieremiae lectionibus ex vulgata editione petitis.

Super literarum origine et inventione hucusque incassum eruditissimi quique desudarunt Doctores , de quo iam actum esset , si genuinae essent octo illae columnae quadratae (fides sit penes Ursinum) in Bibliotheca Vaticana asservatae in quibus Adami , filiorumque , et Sethi literae proponuntur. Sed siquid coniecturis indulgendum

est, id quod verosimilius apparet, edisseram. Vetustissima igitur omnium scribendi ratio, quantum scire fas est, imaginibus, figuris, signis, iconibus, et hieroglyphicis constabat; quamque facile ab ipsius mundi exordiis descendisse suspicandum est. Huic coniecturae suffragantur, si fides sit habenda Iosepho lib. 1. Antiquit. cap. 3., duae illae columnae à posteris Seth in Syriade ante diluvium erectae, hieroglyphicis ornatae et insculptae, ut inventa sua, et scita à Patribus accepta in posteritatis memoriam perennarent, contra aquarum et ignis violentiam, qua mundum obruendum à maioribus noverant. Proculdubio imagines, figurae atque picturae, rudiorum sunt scrinia, scripturae et literae: nihil magis naturae, et orbi nondum in scientiis apprimè erudito consentaneum, quam conceptus mentis et res ipsas absentibus et posteris repraesentare imaginibus depictis in tabulis lapideis, ligneis, vel metallicis. Ea scribendi methodus, non solum usque ad diluvium per Noë, et per eius sobolem us-

que ad Turrem Babelicam, sed et pluribus postea saeculis, etiam post literarum inventionem perduravit; ut videre licet in Aegiptiorum hieroglyphicis illuc à Manete seu Chamo filio Noë primum inventis. Post confussionem Babelicam et Gentium dispersionem Semi posterius, et Abrahami progenitores in Chaldea tranquillis sedibus longo tempore constiterunt: Scientiis ab Adamo per Noë acceptis sedulo operam eos dedisse, in ipsisque augendis, utpote ab aliis curis immunes, intentos fuisse, pronum est; cum interea coeterae per orbem dispersae gentes, figendis sedibus et laribus invigilarent. Propterea scientiae naturales in Chaldea longe prius quam in aliis Nationibus floruerunt, atque ideo à hieroglyphicis et imaginibus rerum quasi gradu facto, et diversis uniuscuiusque vocis sonis observatis, id est, literis eam componentibus, Alphabetum sensim Naturae, prout analytice disserit D. Bayer. cap. 11. de Numis Hebr. Sam., emersit, quodque è distinctis etiam rerum signis iuxta hieroglyphicam

consuetudinem , cui assueverant , pro diversis literarum sonis coaluit : hinc Aleph capite bobis repraesentarunt , Aiin figura oculi , Tau sigilli similitudine &c. Abraham qui in omni Chaldaeorum sapientia maxime excultus in Phoenices scientias intulit ; literas , cum in Chanaam Dei iussu transmigravit , quare precor non invexerit ? hinc vulgo inventionis literarum , et quia è Phoenicia in Graeciam postea fuerunt traductae , Phoenicibus honor delatus , ut Lucanus lib. 3. tradit :

Phoenices primi , famae si creditur , ausi ,

Mansuram rudibus vocem signare figuris :

Nondum flumineas Memphis contexere biblos

Noverat , et saxis tantum volucresque , feraeque

Sculptaque servabant magica animalia linguas.

Abraham ex Phoenicia in Aegiptum se contulit ; ubi pariter eisdem institutionibus Aegiptios locupletasse , disserte Iosephus narrat lib.

I. Antiquit. cap. 9. his verbis : „ Res do-
 „ nato magna pecuniâ Abrahamo potestatem
 „ fecit congregandi cum praestantissimis
 „ quibusque , doctissimisque Aegyptiis ; quo
 „ factum , ut virtutis nomine in maximam
 „ aestimationem veniret. Nam cum ea gens
 „ in diversos ritus , opinionesque scindere-
 „ tur , ut per mutuum contemptum atque
 „ insectationem infensis inter se animis age-
 „ ret , collisos inter se de eorum religione
 „ sermones , et à se ipsis confutatos , vanis-
 „ simos esse , nihilque prorsus veritatis ha-
 „ bere declaravit : ob has dissertationes
 „ in pretio habitus , ut qui magnam tam
 „ intelligendi , quam eloquendi docendique
 „ facultatem praesereret. Et numerorum
 „ scientiam , et syderum benigne illis com-
 „ municavit ; nam ante Abrahami ad se ad-
 „ ventum , Aegyptii rudes erant huiusmodi
 „ disciplinarum , quae à Chaldeis ad Aegip-
 „ tios profectae , hinc ad Graecos tan-
 „ dem pervenerunt.“ Eadem Abrahami erga
 Phoenices et Aegyptios officia tradiderunt
 Eupolemus et Artapanus apud Eusebium

Praep. Evang. lib. 9. cap. 17. et 18.

Porro in penitissima hac antiquitate eodemmet literarum characteres, vel parum absimiles fuisse Chaldaeis, Phoenicibus, et Aegyptiis facile coniectandum est, quamquam tractu temporis apud Chaldaeos et Aegyptios in alios plane diversos degenerarint. Circa Moysis tempora Cadmus è Phoenicia literas in Graeciam detulit, teste Iosepho lib. 1. contra Apion. et quidem decem et sex tantum; et à Graecia totidem postmodum in Latinos, Etruscos, Umbros et Aborigines inductas fuisse veteres Scriptores disserte narrant. Hinc argumentum ineluctabile pro numero decem et sex literarum Alphabeti primigenii eruitur: si enim Phoenices, Chaldaei, et Aegyptii pluribus quam decem et sex literis gauderent, easdem et Cadmum Graeciae non invidissem, credendum est. In hunc decem et sex literarum primigeniarum numerum collimant ea omnia quae Il. aequè ac eruditissimus Bayerius in novissimo suae super Mumis Hebraeo-Samaritanis dissertationis capite solertissime congerit. Pedetentim Alphabe-

tum illud , sicut et in Graecia usque ad viginti quatuor literas excrevit , apud Phoenices eodem pariter modo ad viginti duas auctum fuit ; ita ut cum sacri Scriptores ad codices sacros , et opera acrosthica exaranda se cinxissent , eisdem viginti duabus scilicet , quibus nunc constat , literis iam tunc polleret. Quare minime opus est propter illum decem et sex literarum numerum primigenium , et viginti duarum expressionem in sacris Alphabetis , oneri et difficultati succumbere ; quod efficit Kishullus , qui reverentiae causâ sacri textus , in puteo veritatem latere demersam ingenue confitetur ; hoc enim admissio systemate in aperto sunt omnia : neque locus relinquitur ingeniosissimae illi Cl. Bayerii coniecturae de multiplici eiusdem et nomine et figura literae officio , pro usu et ratione Grammatica : non enim in sacrae Scripturae Acrosthicis Alphabetum tam constanter ad viginti duas literas semper pro tenderetur ; sicut et in Hispanica Lingua Alphabetum non augetur eo quod literae

C, G, et aliae non eundem sonum et officium ante omnes indiscriminatim obtineant vocales: Multiplex illud eiusdem literae officium, fateor, manuducit et quasi digito demonstrat viam, qua ante sacros scriptores Alphabetum decem et sex literarum usque ad viginti duas excurrerit; non tamen illos eandem ipsissimam literam in suis Alphabetis et Acrosthicis pro diversa pronuntiationis ratione repetiisse; quin potius iam tunc diversas potestates eiusdem literae, diversis etiam characteribus sigillatim depinxisse; illud siquidem parum adiumenti ad Acrosthichidis scopum, quicumque ille fuerit, ut supra dictum est, afferret: quemadmodum, quamvis litera *W* Scin duplici sono sub vetustis Iudicum Israelis temporibus efferretur, Galaaditis dense, Euphrataeis acute illam pronuntiantibus, ut ex mente Domini Bayerii loquar; minime postea Davidem et Hieremiam impulit, ut in suis Acrosthicis bis eam collocarent.

Quin et ipsum hoc manifeste probat,

tempore Iudicum Israelis iam in Alphabe-
 tum duas illas sibi affines literas □ et ♀
 relatas fuisse : nam Galaaditae efferebant
Scibolet per ♀ quod *spicam* significat : id
 quod minime poterant Ephraimitae, sed *Si-*
bolet per □ quod *Sarcinam* innuit ; quem-
 admodum Valentini et Carpetani eandem
 ipsissimam diversimodè proferunt vocem
 Hispanicam *Cera* : alii dense et aspirate ;
 et significat *Apum laborem* : alii acute *Se-*
ra, et significat *Sportam* ; neque sacer
 Scriptor eam ipsam inter utrosque populos
 prolationis differentiam scripto perennare po-
 tuisset per unam et ipsissimam literam ♀ :
 punctula siquidem dextrum et sinistrum
 recentioris stili et Masoretharum inventum
 sunt reputanda, utpote aliena à simplici
 primaevo Alphabeto : atque ideo in textu
 originali Sibolet סבול Haephrathaeum per
 □ scriptum adhuc perseverat ; non per
 ♀ cum punctulo dextro. Exinde non te-
 mere suspicandum censeo literam □ Sa-
 mech in Alphabeto primigeniam esse, et
 antiquiorem טו ♀ Scin : nam illa simpli-

eii semper sono et tenui ubique sibilo effertur: **ו** Scin autem duos sonos admittit, nempe Scin et Sin; id est, duplicem seu aspiratum, et simplicem sive tenuem: Hic inductus videtur aut per abusum, aut propter organi defectum, et pronuntiationis impotentiam, ut Ephraimitis accidebat; si enim **ו** duos illos sonos in sua origine habuisset, **ו** Samech omnino redundaret, et esset penitus superflua; cum eius officium punctulo dextro **ת** **ו** imminente abunde suppleretur. Suspiciendum etiam Scin inventam fuisse post Samech, ut tanquam litera duplex proferretur uno ictu sonans ut **ס** et **פ**; licet ob iam dicta in eam postmodum simplex sonus **ת** **ו** irrepperit: hinc sicut **ז** Zain, et **צ** Tsade literae sunt duplices, ita etiam et **ו** Scin habendam esse existimo.

Nec quidquam obest, in Numis Hebraeo-Samaritanis longe recentioribus praedictis Acrosthicus ab oculatissimo viro decem et septem, ad summum decem et octo tantum literas, addita Caph **כ** ex

Numo Joannis Hyrcani, deprehensas fuisse; sententiae siquidem in Numis Hebraeo-Samaritanis adeo sunt paucae, sibi similes, et ad paucas literas constrictae, ac pressae; ut illorum Auctor coeteris iam inventis non indiguerit ad illas, quae sibi congruae, et necessariae essent, in ipsis excudendas. Non temere assertum hoc esse existimo. Characteres enim Samaritani, vel iidem sunt cum Phoeniciis, vel alii ab aliis sunt exorti et parum absimiles: Phoenices ante percussuram Numorum Samariticorum quasdam habebant literas, quas frustra requiras in Alphabeto ex Numis Hebraeo-Samaritanis confecto: similiter et hoc alias habet quae in Phoenicio puro desiderantur; neque hinc utrumque Alphabetum mutilum esse et mancum arguendum est; quinimo aliud ex alio in integrum fore resarciendum: id manifestum fiet, utrumque, id est, Phoenicium et Samaritanum, consulenti apud Ill. Bayerium in praefata dissertatione, et in tractatu de Alphabeto et Lingua Phoeniciorum. Purum Phoenicium non exhibet

Literas א, ה, ו, ח, י, ט, ש, quibus certe iam constabat eiusmodi Alphabetum, nam eas Samaritanum exhibet: è converso Samaritanum caret literis י, ט, כ, ס, ש, ז, quarum aliquas Phoenicium demonstrat. Ea quae modo sunt delibata, ex Numerorum cronologia dilucide patebunt: Numi enim Hebraeo-Samaritani sexqui saeculo ante Christum cussi fuerunt, cum Hispano-Phoenicii, et Siculo-Phoenicii sive Carthaginenses Numi, ut minimum duobus ante Christum solidis saeculis consignati fuerint; nam Phoenices suas colonias in Hispaniam, et alias regiones intulisse certum est, postquam patrias sedes derelinquere Cananaei coacti sunt, ad Iosue et populi Iudaici in terram promissam ingressum: à quo deinceps tempore, sed non diutius quam usque ad Romanorum in Hispania dominationem, Hispano-Phoenicii in Hispania, et usque ad tertium bellum Punicum, ut summum, Libo-Phoenicii in Africa Numi percuti potuerunt: id ipsum de puris Phoeniciis censendum puto. Superant ergo Phoenicii Nu-

mi antiquitate Samaritanos; si ergo vetustiores Phoenicii literas exhibent, quibus Samaritani carent, in commune Alphabetum iam tunc erant invectae omnes. Septuaginta insuper Interpretes in sua sacrorum Bibliorum versione duas et viginti appinxerunt literas quibusdam sacri textus Acrosthicis: illi quidem ante Simonem Machabaeum suam adornarunt editionem: quod liquido demonstrat ante Numos Simonis viginti duas iam numero extitisse literas, quamquam ex istis hauriri modo illae non possint omnes: tenendum est ergo sacros scriptores in suis Acrosthicis viginti duobus, et potestate et figura distinctis, usos fuisse iam tunc characteribus.

At vero quod rem hanc in aprico collocat, ac extra omnis dubitationis aleam constituit illud est, quod, ut iam praedictum, Phoenices primi literas Graecos edocuere; nam ex ipsorum Gentilium testimonio Cadmus ex Phoenicia in Graeciam eas intulit circiter Iudicis Othonielis tempora; multos nimirum post annos, quam Moises Penta-

theuchum exarasset. Praeterquamquod Graecos ab Hebraeis sive à Phoeniciis (quod perinde est) literas accepisse, irrefragabile est monumentum, non tantum quòd Graecarum literarum nomina levissima facta mutatione, aut additione pro *idia* Hellenica terminatione à nominibus literarum Hebraicarum deducantur; sed etiam vel ipsae literarum figurae; dummodo literae Samaritano-Phoeniciae pro Graecorum more dextrorsum scribantur et pingantur; aut illarum situs invertatur, aut sursum, aut deorsum, vel aliorsum; tum quod idem ordo, et literarum collocatio in Alphabeto Graeco constanter observetur (tribus tantum literis quibus caret exceptis) ac qui in Hebraico observatur: idem pariter demum ordo numeralis in Arithmetica supputatione. Nam literae Graecae sunt Phoenicio-Samaritanae in suo, ut ita dicam, fundo et intimis visceribus: perspicienti etenim à tergo Alphabetum Graecum in tenui, et quasi diaphana papyro inscriptum, apparebit Samaritanum; et è converso, paucis excep-

tis literis : similiter si Artifex in lamina aerea literas Graecas caelare velit, Phoenicias necesse est ut incidat ; è contrario vero si Phoenicias intendat caelare.

Singula ergo percurramus. 1. Graecis suarum nomina literarum ab Hebraeis acceperunt, nimirum ab Aleph *Alpha* : à Bet *Beta* : à Ghimel *Gama* : à Dalet *Delta* : ab He *Epsilon* seu *E breve* : à Vau *Epsilon* seu *Bau* : à Zain *Zeta* : ab Hhet *Eta* : à Thet *Theta* : à Iod *Iota*, à Caph *Capa* : à Lamed *Lamda* : à Mem *Mi*, &c. eodem invariato ordine. 2. Similiter Figuras literarum ; nam Alpha A Graecum, est ✕ Aleph Phoenicum, sed inversum sursum : Beta B est 9 Bet, sed dextrorsum scriptum : Gama Γ est 7 Ghimel : Δ Delta est 7 Dalet. E Epsilon est 3 He. &c. 3. Eundem ordinem Graecos in collocatione suarum literarum in Alphabeto observasse, quem Hebraeos, patet tum ex praedictis, tum etiam 4. quia eadem ipsa ratione qua Hebraei suis literis per ordinem Alphabeticum utuntur pro notis arithmetiis, ita pa-

riter et Graeci: at cum hi careant tribus literis respondentibus τζις ῥ , ϙ , ρ , ne ab Hebraeis discreparent, sed veterem ab ipsis mutuatum ordinem arithmeticum conservarent, ab Hebraeis desumpserunt easdem tres literas, non in potestate literali, sed arithmetica; quas ideo ἐπισήμους appellant: id est *signa* vel *insignia*. Hinc quemadmodum Hebraei ex viginti duabus sui Alphabeti literis et quinque finalibus, ad viginti septem characteres numericos extendunt, et omnem claudunt rationem arithmetica; ita pariter et Graeci ex viginti quatuor sui Alphabeti literis et tribus ἐπισήμοις Hebraicis eundem viginti septem notarum numerum conficiunt: ita ut pro numero sexto Episemon Bau usurparent; et pro numero 90 Episemon Tsade; et pro numero 100 Episemon Coph, eodem ordine, et eodem valore ac apud Hebraeos: ita ut litera Ω omega non solum esset ultima et novissima in ordine literarum, sed et numerorum; et numerum 900 exprimeret: ut manifesto deducitur ex Episemois Bau et Coph.

imposita fuerant.

Haec autem obtinuit ratio à principio et priscis temporibus; subsequenter vero res aliter se habuit: nam pro *Episemo Tsade, Cophe* substituerunt Graeci ad designandum numerum 90, *Tsade* supprimentes; et ab hac litera ordinem numerorum in uno centenario anteverterunt, ita ut *Rho P* esset signum 100, cum prius fuisset 200: *Sigma Z* 200, cum antea fuisset 300, &c. usque ad *omega Ω* 800, quod pridem fuit 900: sed cum pro hoc numero character deesset, suppositum fuit *Episemon Samphi Ϻ*, quod ex duabus Graecis literis constat; sigma scilicet inverso Ϻ, et *Pi Π* intra illius ventrem, ut inquit P. Lami Ap. *Biblic. lib. 2. cap. 7.* Sed quia hae duae literae nec simul iunctae, nec invicem multiplicatae conficiunt numerum 900; nam sigma *Z* vale 200, *Pi Π* autem 80: mihi illud succurrit, vel *Episemon Samphi* esse ipsum *Tsade* Phoenicium et Hebraicum finale, quod apud eosdem valet 900: vel vocem illam *Samphi* originem ducere non à sigma et *Pi*; sed à *Phi*, et *Ipsilon*: hoc mo-

do Σαμ ϕΥ, id est Σαμα vel Σημα, *signum*; et ϕΥ iunctum in monogrammate; quia ϕ valet 500, et Υ valet 400, et utrumque 900: forsitan antiquitus pingebatur ita ϕ. Ex quibus omnibus illud subsequitur, cūm Hebraeos à remotissimis temporibus literis sui Alphabeti pro notis numericis usos fuisse, quia Graeci id ipsum ab Hebraeis mutuarunt; tum finales literas Hebraei Alphabeti non nudius tertius esse inventas, sed maximam redolere antiquitatem: tum denique Phoenicio-Samaritanas literas antiquitate superare Assyriacas; nam ab illis, non ab his exortae sunt Graecae literae vetustissimae antiquitatis, ab his Latinae; et à Latinis quotquot fere per Europam vigent. Fortasis est qui dicat: quemadmodum signa et characteres Planetarum, imo et Zodiaci ultra omnium scripturarum, et hominum memoriam ex Monade Hieroglyphica facili dissectione conformata fuerunt, ita ex eodem fonte et eadem vetustate, literarum Phoeniciarum figurae et characteres: quibus ob figurae similitudinem cum obiectis existentibus in rerum natura, illorum nomina imposita fuerunt.

Sed ad rem: cum plurimis saeculis ante Machabaeos Graeci, ut ex supra allatis liquet, suum ex Phoenicibus ortum Alphabetum, et quidem completum ex 24 literis, habuerint; proculdubio infertur à remotissima antiquitate Alphabetum Samaritanum eisdem, quibus nunc gaudet, viginti duabus constitisse literis. Mirandum denique illud mihi subit Il. Bayc-rium, dissert. de Num. Hebr. Samarit. p. 226. virum alias emunctae naris, et scrupulosissimae critices, tum etiam sinceræ ingenuitatis; vel existimasse B. Irenaeum in ea singulari fuisse sententia, qua assereret antiquas et primigenias Hebraeorum literas decem, et non plures fuisse; quum eiusdem S. Doctoris alio tendat oratio (ut eruditissime Renat. Massuet. locum exponit, scopumque S. Doct. certo certius attingit); vel scienter, ac data opera, et studio pro sua ingenuitate S. Irenaeum quasi illud asserentem adduxisse. Omnia ergo quae dudum disputata sunt clariora fient ex sequenti tabula.

Ex collatione et commissione Alphabeti Graeci cum Hebraeo-Samaritano, id quod etiam superius de literis \beth et ψ disputatum fuit, aliter se habere, manifeste evincitur: nam ex accuratioris critices examine, in bono lumine ponitur, ab exordio literam ψ pro simplici, tenui et antiquiori habitam fuisse, et habendam; siquidem huic respondet eius filia Graeca Σ , quae in Idiomate Hellenico est simplex et tenuis litera: literam vero \beth è contrario pro aspirata et duplici, quippe huic Graeca correspondens Ξ aspirate profertur, et est duplex: tractu vero temporis in contrarium omnino suae origini sonum utraque \beth et ψ deflexit; ita ut simplex duplex, et duplex evaserit simplex. Sed quidquid de hoc sit, illud certum statuendum venit, utramque iam tunc Iudicum tempore in Alphabeti Hebraici censum relatam fuisse. Nec assentior Il. Bayerii opinioni pag. 227. *Dissert. de Num.* asserentis literas \beth et ψ ex fontibus Assyriacis, et è Babilone à Iudaeis advectas, imo postremam hanc ψ ex Graecis mutuam;

cum longe ante captivitatem iam in Alphabeto Hebraico resonarent : quia Graeci, eis iam respondentes in suum Alphabetum, sicut et coeteras, retulerant : ut minimum autem literam α Hebraei à Grecis non potuerunt accipere ; Alphabetum siquidem Graecum ea ipsa caret ; illi siquidem pro episemo tantum arithmetico 900 eâ utuntur ab Hebraeis accepta, apud quos ejusdem numeri valorem φ finalis habet. Et quamquam cum Il. Bayer. sex literae duplices ι , ω , κ , σ , μ , α , ab Alphabeto Hebraico primigenio, quod decem et sex literis constabat, et quas Cadmus ex Phoenicia in Graeciam advexit, expungendae merito sint ; longe tamen ante Simonis Machabaei, et huius numerorum tempora, in ipsum iam inductae fuerant : quippe ipsissimas literas ab Hebraeis iam mutuatas Graeci pridem susceperant, et eisdem pene nominibus, potestate, et ordine in suum retulerant Alphabetum.

Et quidem sacros codices veteris testamenti fere omnes literis quae nunc vulgò

Samaritanae appellantur scriptos fuisse, concors est Eruditorum sententia, tot rationum fulcita momentis, quae assensum pene extorqueant. Samaritanae siquidem literae, ut utrasque palam fiet conferenti, ipsissimae sunt veteres Phoenicum, quibus illos exaratos fuisse quam plurima persuadent argumenta. Phoenicii hi, ut supra dictum, sunt primigenii in orbe characteres, utpote simpliciores, naturae ipsi conformiores; Chaldaeis, Phoeniciis, et Aegyptiis, apud quos ab Abrahamo Patriarchae conversati sunt, communes: et Linguae, qua illi exarati sunt, propriiores: in eâ enim ipsorum nomina et figurae non sunt inania verba, et vanae picturae, nihil significantia praeter ipsos et repraesentantia, (quod in coeteris evenit linguis) sunt etenim, non solum rerum significativa, sed et ipsaemet literarum figurae sunt quaedam veluti rerum significatarum imagines et picturae; ut manifestum fiet illorum perspicienti formas, et interpretationem apud Sanctum Hieronimum legenti, in Epistola ad Paulam Urbicam de

huius Alphabeti interpretat. quam mox sub-
iicio cum Alphabeti Phoenicii et Samaritani,
ex Clarissimo Bayerio, paradigmate.

Huiusmodi Alphabeti Phoenicii et Samaritani
 comparantur. Samaritanas: significatione litterarum
 utique palam facta. conueniunt. quibus
 sunt veteres Phoeniciae, duplus illos exar-
 tos. Huiusmodi palam perueniens argu-
 menta. Phoenicia huiusmodi supra dicta sunt
 primitiua in orbe ceteris. huiusmodi
 Phoeniciae, namque ipsi conformiores. Chal-
 daeis, Phoeniciae, et Aegyptiis, quod quos ab
 Abrahamo Patriarchae conuersantibus, con-
 uertere: et. I. huiusmodi palam illi exarati sunt.
 Phoeniciae: in Aegyptum ipsorum nomina et
 litteras non sunt inueniuntur, et. huiusmodi
 litteras, nihil significat. praeter ipsos et re-
 presentantur. (quod in ceteris eodem lin-
 guae) significat, non solum terminum sig-
 nificat, sed et ipsa litterarum significatione
 sunt. quibusdam eodem terminum significationem
 huiusmodi et litteras, et. huiusmodi
 illorum perspicuae formae, et. huiusmodi
 tionem, quod. huiusmodi huiusmodi huiusmodi
 significationem ad. huiusmodi huiusmodi huiusmodi

Phœnic. Samarit. Nomina. Interpret. S. Hier. Alia Interpret.

11	F	Alph.....	Doctrina.....	Dux: Caput: Bos: Mille.
9	A	Beth.....	Domus.....	
	>	Ghimel. Plenitudo.....	Camelus.....	
9	T	Daleth... Tabularum.....	Ianua, Porta.....	
	E	He.....	Ista.....	
	h	Vau.....	Haec.....	Urcinus.....
		Zain.....	Haec.....	Species.....
	B	Chet... Vita.....		
J		Thet.....	Bonum.....	Lutum: Argilla.....
	3	Iod.....	Principium.....	
		Chaph... Manus.....		
3	L	Lamed. Disciplina.....		
4	E	Mem.....	Ex ipsis.....	
44	F	Nun.....	Sempiternum.....	
4		Samech. Adiutorium.....	Fulcrum.....	
	O	Hahaiin. Fons: Oculus.....		
	2	Phe.....	Os ab ore.....	Angulus.....
m	3	Tsade... Iustitia.....	Latus.....	
9	P	Coph... Vocatio.....	Acerbus.....	
9	9	Resch... Capitis.....		
	W	Scin.....	Dens.....	Scopulus.....
7. A	X	Tau.....	Signum.....	

In hoc paradi-gmate videsis, aliquas li-
 teras certo certius figuras esse earum rerum,
 quas ipsa nomina, et characterum appellationes
 hebraice significant. *Aleph* caput bovi-
 num repraesentat: *Vau* uncinum: *Haiin* ocu-
 lum: *Phe* os: *Thau* signum. Quidni ergo
 coeteras pariter literas ab initio etiam fuis-
 se totidem rerum icones arbitremur? prae-
 sertim cum et figurae literarum aliquam tem-
 porum iniuriâ facile subierint mutationem,
 et non omnium illarum nomina accuratâ
 et omnino notâ modo gaudeant interpreta-
 tione? Numquid casu etiam factum esse
 reputandum est, ut ultima Alphabeti He-
 braici seu Samaritani litera signi crucis for-
 mam referat? minime quidem suspicor: nam
 in cruce magnum redemptionis opus con-
 summatum fuit, vetus testamentum absolu-
 tum, omnia Prophetarum oracula comple-
 ta, lex Mosaica abolita, et Sinagoga se-
 pulta; quapropter è converso à crucis sig-
 no nostrum Alphabetum initium sumit, Chris-
 ti Ecclesia militat hoc vexillum praeferens,
 et aeternum Sacerdotium stabilitur, cuius

P
 W
 X

tipum gessit antiquum illud , in cuius inauguratione , ut tradit Maimonides , oleum super candidati oculos diducebatur sub eodem signo Tau vel Chi X Graecorum , id est , crucis figurâ.

Praeterea adhuc superstes perseverat Pentateuchus Samaritanus literis Phoenicio-Samariticis exaratus , qui apud Samariae incolas semper solus invaluit ; et à temporibus S. Hieronimi in Europa incognitus mansit usque ad Morini aetatem : alium enim codicem nunquam admitterunt , sed nec librum illum aliis scriptum literis. Hunc quidem ab Hebraeis ipsis communicatum fuisse minime dubitandum est , nec alia huius traditionis potior obversatur occasio , quam post ductas in Asyriam decem tribus Israel ab Assaradone Rege , qui è captivis Israel Sacerdotibus unum quemdam Samariam remeare praecepit , novos incolas , Euthaeos , Haebes , Emathaeos , et Sepharvaim , qui in vacuum Samariae regionem ab ipso deducti fuerant , caeremonias edoctorum , et Domini legem. Eiusmodi Sacerdos refractarii in

patrios mores poenam vix effugisset, si legem Domini aliis characteribus praeter sui populi morem conscriptam contulisset; erant igitur Samaritani characteres Iudaeorum proprii et gentilitii, quique apud Samaritanos tantum ad haec usque tempora in Moysis libris conservati sunt. Insuper Ezequiel cap. 9. iustos, qui in Hierosolima servandi erant, signo *Tau* insignitos vidit; omnis quippe salus per Iesum Christum, et hunc crucifixum: *Tau* in Alphabeto Samaritano et Phoenicio tantum Crucis figuram exhibet, non autem in communi Hebraico quadrato: mysterium Propheta *in signo* clausum hausisse dicendus est ex elementis et Alphabeto, quod et proposito inserviret, et audientium captui. Origenes et S. Hieronimus suo adhuc tempore Samariticae Scripturae quaedam veluti vestigia in vetustis quae supererant codicibus observarunt: in Hebraicis ille, hic in Graecis nomen scilicet *Iehova* Samariticis conscriptum literis. Numi denique, sub Simone Machabaeo excusi priscis Samaritanorum characteribus, vestigia sunt veteris apud Hebraeos in scribendo moris.

Credimus ergo Alphabetum Phoenicium sive Samaritanum omnium quotquot sunt in toto terrarum orbe, esse primigenium, loco hieroglyphicorum inductum, ante Abrahamum inventum, in Palestinam et Aegyptum ab ipso illatum, à Patriarchis, Moyse, Iosue, et Populo Iudaico deinceps usque ad captivitatem Babilonicam incorruptum conservatum, ac demum in Samaria usque ad Christi tempora prorogatum: Cum interea apud coeteras mundi regiones, in alia omnino diversa degenerarit elementa, et vel in ipsa etiam Chaldea à priscis temporibus in quadratum illud, quod nunc Hebraicum appellatur, iam olim defluerit; sed quod in fundo intimisque visceribus, ut ita dicam, sit Phoenicium vel Samaritanum, matrix, fons et origo omnium in mundo literarum; ut reipublicae literariae manifestum fiet in lucem editis lucubrationibus à doctissimo viro super eiusmodi argumento elucidatis, quas in dies avidi, et morae impatientes expectamus. A captivitate igitur Babilonica literae Samariticae inter He-

braeos pedetentim coeperunt exolescere: nam diutissima detenti captivitate, pro familiari et civili commercio quadratis sive Chaldaicis uti literis opus habuere; huic Epochae optime congruit illa quae apud veteres occurrit scriptores (a) distinctio literarum, Sacerdotalium scilicet seu sacrarum; et popularium sive profanarum: Samaritarum nempe pro usu religionis; Chaldaeorum autem pro familiaribus et civilibus negotiis. Inde tractu temporis Iudaeis è plebe suarum literarum penitus oblitis, necessitas primum, deinde religionis et politiae quaedam ratio, Israelis optimates compulit Asyriacos et Chaldaicos characteres in sacris etiam codicibus pro Samariticis subrogare; non enim illos legere iam poterat, nec sacras Scripturas absque interprete ediscere è vulgo populus. Aliunde Iudaeorum cum Samaritanis vetus et recocta similtas, ne unquam quid commercii inter utramque gentem commune interveniret, Chaldaicos characteres adoptare coëgit: cum gentem Samariticam antiquorum possessione deturbare nullatenus

(a)
Irenaei lib.
contra Hae-
res. c. 24.

possent. Ea propter eius gentis primoribus veterem scripturam renovare, eamque populum edocere, et antiquos adire characteres iure postliminii captivitate soluta nullatenus curae fuit. Septuaginta Interpretum aetate Chaldaicos vulgo obtinuisse characteres, liquido demonstrat eorum varia super aliquos Scripturae locos interpretatio, orta ex quarumdam literarum Alphabeti quadri inter se similitudine, quae in Samariticis minime invenitur. Vide Petrum Lopez de Montoia in Concord. Sacr. Edit.

Tempore autem Iesu Christi apud Hebraeos iam penitus Samariticas literas exolevisse, et Chaldaicas tantum pro usu communi inolevisse, praeter ea quae D. Bayerius loco citato observat, evidens documentum superest ipse authographus titulus Crucis Domini Nostri Iesu Christi, a S. Elena in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem Romanae collocatus, et ad haec usque tempora conservatus, in quo I. C. causa literis quadratis seu Chaldaicis, Graecis et Latinis conspicitur exarata. Sed est valde notatu

dignum, non solum literas Hebraicas, sed Graecas et Latinas, iuxta morem orientalium à dextera ad sinistram insculptas percurrere in tabula lignea latitudinis unius palmi, et longitudinis sententiae sufficientis, ferro excavatas, sed absque vocalibus punctis; quod quidem irrefragabile τῆς eorum *ἑστὸς* argumentum praestat, ut videre licet apud P. Petrum de Medina tom. 2. de Victoria et excellentia Crucis. Ubi tituli apographum sub hoc schemate producit ex alio à D. Madrigal ex autographo expresso desumptum:



Ibique asserit eius authographum manibus

propriis Arias Montanum Romae contrectasse, vidisse et examinasse: id quod se reverenter fecisse fatetur etiam Doctor Illescas lib. 1. Hist. Pont. cap. 2. adiiciens tabulam hanc è praecipuis et genuinis, quae huc usque supersunt, passionis D. N. I. C. esse monumentis.

Cumque omnia haec ita se habeant, procul amandanda veniunt cuncta illa mysteria, quae in literis quadratis sacri textus sibi ipsi videntur eruere Cabalistsae, quasi à sacris scriptoribus (ut iactitant) in his characteribus tum ratione loci et figurae, tum aliarum combinationum vi occultata: confringenda etiam minutim conspicilla, quibus Postellus innumera in Coelorum libro vidit quadratis è sideribus literis inscripta arcana; quasi hi characteres, non solum orbis totius, sed ipsiusmet etiam naturae in coelestibus tabulis digito Dei è sideribus essent efformatae literae. Paucis denique concludendum est, Hebraicas literas decem et sex tantum ab initio fuisse in sua origine, hominum industria inventas: tempore au-



tem sacrorum scriptorum ad viginti duas
 adauctas ; illasque forma et figura Sama-
 ritica sive Phoenicia usque ad captivitatem
 Babilonicam in populo Dei pro sacro et
 profano usu superstites ; pro quibus dein-
 ceptim Chaldaicae sive Quadratae , et quae
 nunc Hebraicae appellantur , subrogatae fue-
 runt. Quae omnia in gratiam eorum, qui nec
 libris nec scientia pollent , à sibi compa-
 ri delibata , doctorum iudicio virorum sub-
 iecta sunt.



12878



